



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SEGHENEITENSIS*** IN ERYTHRAEA NOVA EPARCHIA SEGHENEITENSIS CONDITUR Cum visum sit ut Eparchia Asmarensis in Erythraea utpote nimis ampla ad animarum curam efficacius exercendam divideretur, Nos, Successor beati Petri deque totius Dominici gregis bono solliciti, audito Venerabili Fratrem Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, sequentia decernimus. Ab Eparchia Asmarensi detrahimus quoddam territorium ex quo condimus novam Eparchiam Segheneitensem propriis cum iuribus atque obligationibus; quae suos habet fines in Erythraeae regione inter meridiem et ortum solis spectante, atque Eparchia Adigratensis ad meridiem, Mare Rubrum in septemtriones et Eparchia Asmarensis inter septemtriones et occasum solis eam definiunt. Insuper ipsius sedem ponimus in urbe *Segheneity* ibidemque exstans paroeciale templum Sancti Michaëlis Archangeli ad gradum Cathedralis ecclesiae evehimus. Ceterum novam Eparchiam, cuius est Patronus Sanctus Iustinus de Iacobis, suffraganeam facimus Archieparchiae Metropolitanae Neanthopolitanae. Eiusdem quidem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri septimo.* Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CIV (2012), n. 6, pp. 474-475.

